



DOCTORI THADDAEO AB
 Hayck, Casaræ aula Medico, Paulus Fa-
 britius. S. D.



NON possum non probare studium tuum, quo stellæ istius nouæ omnes circunstantias tanta diligentia sectaris, omniumque sententias ac iudicia cognoscis. Quòd verò præterea multorum obseruationes ac iudicia, ita vt ab ipsis sunt scripta, edis, & aliorum quoque censuræ subijcis, candorem tuum apprimè declaras. Vellem meum scriptum omisisses, tum quòd in medio ferè statu crudelissimæ febris scriptum, non potuit esse quale debuit, tum quòd stella recens admodum adhuc fuerit. Recentem dico, quia integro adhuc anno postea luxit: circa Ianuarium enim 1574 anni adhuc nonnihil poterat conspici, postea disparuit: quod accuratè obseruaui. Et cum vnà de significationibus huius non omnino non essem anxius, audiui etiam vulgares multos ominari, hanc exemplis raris omina designare iam à natura attributa. Verùm hæc ad DEI iudicium pertinent: nostrum est DEVM metuerè, precari, & ex præscripto ipsius viuere, vt officium nostrum non neglexisse videamur. Non autem satis possum mirari vsque adeo vilem haberi huius stellæ apparitionem, ita etiam vt aliqui non crederent esse nouam. Si non fuit, quomodo disparuit? atqui visa est aliquanto tempore. Deinceps quis nõ ad stuporem vsque miretur hanc obliuione ex hominum memoria ita euanuisse, vt è cælo disparuit? Tibi tamen, quia pro iure amicitia nostræ tibi hoc vendicasti, vt insereres tuo volumini meum scriptum, non obluctor, eam conditionem